

Wd
584



VICTRICES LAURI
VITÆ POST FUNERA TESTES

SERENISSIMI PRINCIPIS
ac DOMINI,

DN. JOHANNIS
WILHELMI,

DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ
ac MONTIUM, ANGRIÆ atqve WEST-
PHALIÆ, LANDGRAVII THURINGIÆ
MARCHIONIS MISNIÆ, &c. &c.

SACRÆ CÆSARÆ MAJESTATIS
IN MILITIA IMPERIALI SOCIAQVE
GENERALIS CAMPI-MARESCHALLI
LOCUM-TENENTIS,

FIDE ERGA CÆSAREM IMPERIUMQVE
CONSTANTISSIMA
ANIMI MAGNITUDINE INTREPIDA
VIRTUTE MULTIS PRÆLIIS PROBATA
IMMORTALEM GLORIAM ADEPTI,

AD TOULONÆ S. TAURENTII ANTEMURALIA
STRENUÈ PUGNANTIS
D. XV. AUG. A. MDCCVII.

FATALI SCLOPETORUM JACTU PEREMPTI:
SUPREMAM TANTO PRINCIPI PIETATEM TESTATURUS,
POST HONORES EXEQVIALES
IN PATRIA PERACTOS,

HUMILI ORATIONIS APPARATU
SUBMISSISSIMO AUTEM VENERATIONIS CULTU
IN GYMNASIO GORLICENSI
ADUMBRATÆ

JOHANNE CHRISTOPHORO BIERLINGIO,
ALTENBURGENSI MISNICO.

GORLICII, TYPIS MICHAELIS ET JACOBI ZIPPERI.





I mecum expendo, quid aut Principum magnanimorum laudibus post fata debeat, aut ad audiendum invitata hominum clarissimorum congregatio expectet: parum abest, quin me ipsum detestandæ redarguam audaciæ, dum, in conspectum vestrum prodiens, hanc occupavi cathedram. Sive enim Principem recorder, cujus de Virtutibus & fatis, vobis annuentibus, disserere constitui: Sive vestra, optimarum artium doctrinis exquisitissimè subacta & exulta, pensitem ingenia, iisque simul conferam aut munerum, quæ sustinetis, amplitudinem, aut etiam ætati debitam à Juventute reverentiam; utrobique causas habeo quàm plurimas, cur, subeunte taciti pudoris, imbecillitatis meæ testis, notâ, palleam & trepidem. Principis, de quo orationis integræ contextu loqui nunc aggredior, Virtutes tot ac tantæ sunt, ut iis enarrandis vix Orator facundissimus suffecerit. Hinc vereor, ne ejus venerabilem & nullis seculis obliterandam memoriam obscuret potius, quàm, ut par erat, illustret mea tyronis infantia. In vestrum autem spectatissimum Confessum quoniam afferri nihil omninò oportet, nisi perfectum ingenio, elaboratum industriâ: facile prævideo, jejunâ & famelicâ oratione meâ non applausum & benevolentiam, sed nauseam fastidiumque provocatum iri. Quia tamen non tam artis, quæ in me omninò per ætatis immaturitatem expectari nulla potest, ostentandæ, quàm submissæ Pietatis erga Patriam & Principem utcunqve declarandæ gratiâ, in hanc dicendi Palæstram sum progressus: spero ac

con-

GORTLICH, TYR. MICHAELIS ET JACOB. KREMER

confido, Vos non tam in congestis verborum coloribus, quàm simplici oratione, quæ communi Saxonum tristitiæ & lacrymis domi stillantibus foris respondeat, placidè acquieturos. Jacturam fecit nostra Saxonia gravissimam, si modo jactura & non potius clades irreparabilis dici meretur oprimi Principis & ad totius Imperii Romano-Germanici gaudium, subsidium & ornamentum nati amissio. Extinctum enim & infaustis Gallorum sclopetis peremptum *Serenissimum Principem ac Dominum, DN. JOHANNEM WILHELMUM, Principem Saxonie, Julie, Clivie ac Montium, Angrie item ac Westphalie, Landgravium Thuringie ac Marchionem Misnie, &c. &c.* PATRIS meæ PATRIÆ Fratrem, cum viveret, ut unicum, sic effulsissimè dilectum, non, ut initio, dubiis spargitur rumoribus, sed certis nunciis, imò solenni apparatu funeris peractò confirmatur. Hòc obitu tam pramaturò & inopinató quantum Fratri Serenissimo, quantum Sororibus, quantum Provinciis & Subditis Saxo-Gothanis vulnus sit inflictum: omnes, qui, quantum cœleste munus atque beneficium sit Princeps pius, prudens & magnanimus, experiendò cognoverunt, facilè intelligent. Et profectò ipse, quanquam à penatibus remotus, ac calamitatum publicarum, per juventæ imperitiã, nondum perinde gnarus atque conscius, mihi videor. FRIDERICUM Serenissimum, quem penes, per nascendi ordinem, suprema DIVI PARENTIS lata lex Gothani Principatús imperium esse voluit, lugubri veste & rorantibus oculis, exuvias perempti Fratris Mausoleo inferendas, mœstã & planè percussã mentem, subsequenter intueri. Videor mihi campanarum non festivum clangorem, sed mugitum, publi-

ci

ci doloris testem manifestum, auribus excipere. Videor mihi spectare omnis sexûs & ætatis homines, peplô & pannosô Syrmate coniectos, templa petere, & vocem publici Præconis, interstrepente, crebrius singultu gemituque perturbare. Quod si ergo Subditos ad unum omnes unô eodemque regi spiritu, eandem item ex secundis rebus voluptatem, ex adversis autem capere dolorem æquum est: quæso, A. O. date mihi eam veniam, ut, luctûs domi meæ publicè regnantis meditatione ductus, in societatem communis tristitiæ admitti properans, vobis præsentibus, brevi orationis ambitu edisseram: quem mihi mors erepti Principis mœrorem; patentissimus virtutum in illius vitâ atque rebus gestis undique conspicuarum campus autem, in quem piâ recordatione contigit exspatiari, laudis apparatus inspiraverit. Hanc differendi copiam licentiamque, si benignô nutu mihi sensero concessam, quantum in me situm est, efficiam, ut cognoscatis, nunquam magis incepisse vivere & gloriâ florere Principem extinctum, quàm ex quô mortalis esse, atque inter nos mortales florem caducæ vitæ prorogare, desit.

Quoties Heroum perennem & ad seros transi-
turam posteros nominis memoriam consecutorum
fortem cogitatione volvo, toties ad eam tria con-
currille sentio: natalium splendorem, & fidelem
educationis operam, gloriosum vitæ cursum, &
beatam ex terrenis & caducis rebus ad æterna gau-
dia, quæ piis animabus apud cœlites sunt constitu-
ta, demigrationem. Singula hæc in extinctô Sere-
nissimô, cujus historiam non equidem pro Digni-
tate, interim tamen pro submissâ, quâ eundem Pie-
rate

tate prosequor, percurrere suscipiens, peculiari Pro-
 videntia Divina beneficio conjuncta deprehendo.
 Natus enim est iis Parentibus, quorum avita stirps
 non tam antiquitate, quam virtutum ubere pro-
 ventu, omnes alias non aequat modo, verum multis
 modis superat. Neque tamen, ultimam temporum
 memoriam repetiturus, argumenta fortitudinis à
VVuekingo, conditore Stemmatum Saxonici, aut à *Fri-*
derico bellicosò, qui electoralem Dignitatem primus
 in augustam Marchionum Misniae familiam intulit;
 aut documenta Fidei in DEUM invicta à *Jo-*
hanne Friderico I. Patientia Constantiaque; præclaris-
 simò antesignanò, ducam: sed ERNESTUM sal-
 tem allegabo, cui vitæ sanctimonia domi forisque
 spectatissima PII cognomen proprium fecit. Hòc
 prognatus Avò Princeps Serenissimus non poterat,
 non Pietatis avitæ strenuò ardore, statim ab ipsis vi-
 tæ primordiis, incallescere. Scilicet, ut rivi fontium,
 è quibus promanarunt, servant indolem: ut
 juniores aquilæ non mutant speciem, sed constan-
 tissimè tuentur: ita quoque Principes magnanimi
 non facile, originis immemores, à patriò virtutum
 tramite deficiunt; sed, in avitæ Pietatis speculum
 subinde intuentes, meminerunt, se indubitata à
 Majoribus acceptæ Virtutis imitandæ expectatio-
 nem suscepisse. Et, quamvis Historiam Saxoniam
 excutientibus, unus occurrat Albertus degener:
 non tamen generationi vitia ejusdem tribuenda
 sunt, sed perverforum hominum illecebris: à qui-
 bus si remotus extitisset, sine dubiò Majorum per-
 stitisset similis, & tantà eluxisset famà, quantà, se-
 cus agens, postmodum infamià est obrutus. Nostro
 itaque Principi virtutum semina, cum avitò pater-
 nòque

B

nòque

nōq; sanguine inspersa, non obscura magnitudinis
futuræ præbuerunt omina. Nam in Ejus animō
regnabant Fortitudinis igniculi, quibus se origi-
nem ab eō, cujus nomine notatus erat, *D. Johanne*
Wilhelmō, Johannis Friderici II. fratre, Casari impe-
riōq; fidelissimō, probabat trahere; regnabat in-
Eōdem Pietatis, ipsius naturæ quasi ductu prorump-
pentis, ardor, quō ERNESTUM avum videbatur ex-
pressurus: regnabat in eō Candoris ingenui, & ab
omni perverſæ simulationis voluptate alieni studii,
PATRIS referens imaginem, qui, Germanici
Candoris florem exteris commendaturus, Ordinem
equeſtrem ſuis auspiciis conditum petiō à SINCERI-
TATE illustravit titulō. Ut itaque ſementem terræ
creditum ſolares radii & roſcidarum nubium ſtil-
lantes guttæ pluviales e gremiō telluris ſenſim
provocant, & provocatam germinare, germinan-
tem crescere, crescentem floribus atqve granulis
aristas diſtendere, diſtensas tandem maturare, &
culturam largā melle compensare, docent: ſic, quia
Principi deſuncto SERENISSIMI PARENTIS providā
deliberatione prudens atqve ſolers inſtitutio conti-
gerat, recondita naturæ bona, quæ ipſi divinitus
conceſſa, & per quendam quaſi traducem ex ipſā
nascendi felicitate inſita cognoſcebantur, luculen-
ter emergebant, omniumqve advertēbant oculos
& animos. Salutis cuſtodiam morumqve præſe-
cturam *Boineburgius* ſuſcipiebat, Heros, ut antiquā
generis proſapia, ſic etiam inſigni vitæ continentia,
invictā fide, & multijugā rerum experientia præ-
cæteris ſpectatus. Hic, cum non ignoraret, quan-
tum ſuæ curæ pignus eſſet creditum, omnem eō
conferebat operam, ut Sereniſſimum Alumnū iis
ſingu-

singulis imbueret, quæ Principem DEO acceptum,
Parentibus probatum, subditis amabilem, & exte-
ris præstare solent commendabilem. Non cum-
inerti otio torpere, non diffluere voluptatibus, &
luxu, neque tamen ætatis florem in humilibus &
infra sui stemmatis fastigium positis, contere-
re sinebat occupationibus: verum in eò totus erat, ut ti-
mere DEUM, venerari superiores, animum præ-
dentiâ firmare, corpus togæ pariter & sago præpa-
rare disceret. Habebat educationis socium & ad-
ministrum Virum spectatissimum, *Fustum Kirsteni-*
um, qui, quod ipse præcipiendô faciendum designa-
bat, sedulo perficere paratus erat. Et sic Princeps
optimus, in meliora quæque suapte naturâ flexilis,
Lingvarum, quas Germania fundamentalis Lex
tam illustri stemmate prognatis inculcari voluit,
notitiam & usum juxta capiebat. Capiebat Disci-
plinas, ex quibus officia & ornamenta Principum
petuntur: capiebat, consultoribus his patienter &
constanter obsequens, peritiam regendi corporis
ad lusûs atque serias: capiebat rationem equos ritè
moderandi, aliaque, quorum non in Pace saltem,
verum etiam in bellô frequens usus est.

Interim dum in virtutum tramite decurrit Prin-
ceps optimus, & Juventæ suæ formatorum legibus
ac desiderio plenissimè satisfacit: inopinatô luctu
suos circulos turbari, atque studiis non levem sen-
tiebat interponi remoram. Nondum quippe quin-
sum supra decimum ætatis expleverat annum, cum
eiusdem PARENS SERENISSIMUS ex improvisô, vio-
lentâ morbi vi correptus, obitu, quò magis præci-
pitatô, eò etiam flebiliore, vitam poneret. Ex sic in-
exorabilis facti durities Heroum serè omnium co-
nati-

natibus obsistere sveta, Principi dolorum amplam
segetem objiciebat; siquidem Eundem Orphanor-
um, utrôque Parente demptô, lamentabilem co-
gebat experiri sortem. Verùm enim verò, dum ne-
gatam erat in complexu Patris juvenile robur im-
petrare: DEUS ipse Patris obitum desinentem sinu
patriô excipiebat; & TUTORIBUS, quò sanguinepro-
pioribus, eò etiam in Ejus commoda intentioribus
munitum, ad maturitatem provehebat. Hinc, Ulyf-
sis ingenium secutus, aliorum quoque populorum
mores inspecturus, & Prudentiam exemplis extera-
rum gentium confirmaturus, FRATRE SERENISSI-
MO, Paterni nominis & Principatûs felicissimô Hæ-
rede, duce atque comite, ad Batavos & Belgas ex-
currebat. Ibi autem, visis atque perlustratis, quæ
notari merebantur, superatô mari, quod Germani-
am ab Angliâ divellit, Londinum, sedem imperij
Britannici, adire gestiens, collectam classem, præ-
monstrante Britannix Archithalassô oculis obibat
sagacissimis. Scilicet, mens fortis præsaga futura
haut obscuro ipsum præmonebat omine, in tem-
pore discendum ipsi fore, quibus incommodis peri-
culisque mari vectos opus sit defungi: ne ea nesci-
ret, sicubi fortasse cum marinis fluctibus, & tem-
pestatum adversarum impetu Eidem colluctandum
foret. Simul autem atque animum, spectaculi per-
cepti voluptate, non in orâ saltem maris, verùm ali-
is etiam Angliæ urbibus expleverat, Fratrem ad pe-
nates reversurum, atq; , annuente Cæsare, regiminis
Ducalis gubernacula capessiturum, comitatus: quò
militiæ, quam naturali quodam ductu deperibat, ,
carperet præludia, ad LUDOVICUM Principem Ba-
densensem, penes quem imperij in militem Cæsarianum
summa

summa erat, excurrere. Ab hoc benignissimè, exceptus, ea perdiscebat singula, quæ olim Exercitum ducturo videbantur profutura. Et sic, primò quasi factò stipendiò, tyrociniique militaris rudimentò laudabiliter depositò, magnò Præfectorum omnium applausu dimissus, FRATRI subditisque de feliciter confectò itinere certatim lætantibus, salvus reddebatur, sospes item, & incolumis.

Audivistis, A. O. hætenus, quid nostro PRINCIPI natalium splendor & par illi Educationis opera præstiterit: nunc etiam quàm gloriòse vixerit, percipitote. Cùm HENRICUM IV. Gallorum Regem omnis ætatis ac memoriæ clarissimum Divina Providentia LUDOVICO XIII. filio auxisset, exclamabat: *natum esse Principem, quem omnis generis molestiæ, & varia periculorum expectarent agmina.* Idem etiam de nostro PRINCIPE jam mihi profitendum est. Sive enim ejus commemorem itinera: sive, quibus interfuit, ancipitis fortunæ prælia: quid? nisi fertilem periculis, molestiisque messem video? Principum magnorum eadem, quæ Ignis, Elementi Principis, est indoles. Ut ignis humi desidere, & carceribus includi nescit, sed in altum nititur & semper evagari latius, ac rerum obviarum intimos recessus penetrare pergit: sic quoque Principum mens ignea angustis Patriæ limitibus coerceri, atque vitam more Phæacum transire detrectat. Mavult foris oculos, naturæ, & ejusdem æmulæ artis, contemplatione, pascere, quàm domi pingvi otio & altâ quiete delibutos, pati hebescere. Putant enim hujus generis illustres animæ, indignum esse Principem, qui multis imperet, nisi, in ætatis juvenilis flore & vigore, multa-

C

lustra-

lustraverit, cognoverit, & instar Cimelij futuri, altâ mente reposuerit. Manifestum hoc in nostrô fuit *PRINCIPES*. Vix mensem unum atq; alterum resumendis viribus, & abstergendo, quem Castrensis inqvies exprefferat, sudori videbatur impendisse: cùm Italiam, totius olim terrarum orbis imperij sedem & Dominam, inspiciendi traheretur desiderio. *Quare, FRATRE SERENISSIMO* non minùs annuente, quàm opitulante, domo profectus, superatis alpibus hibernâ nive & intensô frigore non æquè tractabilibus, Venetias perveniebat. Eô tunc urbs copiosa & magnifica confluxu exteriorum abundabat: eô perstrepebat ludorum & spectaculorum annuorum apparatu: eâ deniq; solennitatum publicarum splendidâ magnificentiâ: ut incertus *PRINCEPS* esset, utrùm sibi potius admittus & exceptus hospitaliter, an fortunæ quôdam nutu tacitô accitus, atqve invitatus videretur. *Quæ* enim singula advenarum oculis divisis alioquin temporum spatiis in urbe Venetorum solent objici: ea tunc peculiari casu conjunctim occurrebant. Decesserat non multô ante, quàm Venetias delatus *PRINCEPS* noster fuerat, Reipubl. Dux celeberrimus, *FRANCISCUS MOROSINUS*, Turcarum terror atq; Triumphator, cujus ductu & auspiciô, fugatis hostibus, Peloponesus, universa Venetorum dominationi restituta fuerat. Huic igitur Senatus, gratiam pro meritis referre cupiens, funus, quibus poterat rebus ornatissimum amplissimumq; Ducum aliorum supremos honores tantùm superaturum, quantum hujus res terrâ mariq; gestæ cæterorum superasse studium perhibebantur, duci decreverat. Et hanc pompam funebrem

brem spectare postquam nostro Principi contigerat, notabat etiam, quæ in Electione atq; coronatione novi Ducis *VALIERII*, memoriâ præ cæteris dignissima putabat. Ita quippe, suis restitutus, gloriari poterat, se occidentem pariter & orientem Venetorum Solem inspexisse. Quamvis autem, plerique Venetias omnis venustatis per Italiam diffusæ compendium existiment: noster tamen *PRINCEPS* minus suæ curiositati satisfactum arbitratur, nisi Regionem peragrasset universam. Quare, visô Fanô Lauretanô, Florentiam & Romam intreri properabat; & ibidem magni Hetruscorum Ducis, hic præcipuorum Procerum, præsertim Sacerdotis Purpurati *Lichtensteinii* benevolentiam sibi conciliabat: ita quidem, ut, quod paucis acciderat, ipsius Pontificis permissu aliquoties *Franciscum Burrum* Equitem, insigni artis Medicæ peritiâ & usu notum, malevolorum autem fraude circumventum, & in castellô S. Angeli detentum, liberè adierit, & ex ejus consuetudine colloquiôque fructum ceperit non contemnendum. Sed quid animi putatis, Auditores, nostro *PRINCIPIS* fuisse, cum inter Romanos vitam ageret? credite, non otiosus rerum sibi monstratarum Speculator erat, verum Censor atq; judex solertissimus. Movebat Palatiorum omnes habens numeros magnifica structura intuentis voluptatem: residuorum ex antiquitate ultimâ monumentorum aspectus venerationem: superstitio, quam Sacra Romanorum, velut tabem pervasisse sentiebat, veritatis salutiferæ amorem tenacissimum: vibratum denique, Ipsô præsentem, in Doctrinæ purioris assecclas coecæ Excommunicationis fulmen, tacitam in illos singulos
com-

commiserationem, quos densissimis erroribus immerfos, sanioribus consiliis imbui ac luci Evangelicæ restitui optabat. Interim perspectis, quantum satis erat, Romanorum moribus, deliciis & monumentis, in Campaniam Apuliamque penetrabat. Huc enim ut excurreret, monebant loca, quibus Hannibal infestus crebra præliorum vestigia impresserat, aut Cumana vates oraculi opinionem olim fecerat, & crebris fumans incendiis Vesuvius, nec non Averni lacus foetor vaporosus, pronomam in stuporem dederat materiam. Quæ cum singula attentius considerasset, memoriqve pectore recondidisset, progressus Neapolin, & ibi pluribus diebus commoratus, reditum in Patriam per Ligures & Insubres prudenter maturabat. Neq; tamen ullum in itinere hęc, quamvis festinatō, locum intrabat, quin, veloci famâ præcurrente, ex ignotō notus, summâ omnium benevolentiam exciperetur. Ex quō accidebat, ut Augustam Taurinorum advectus à præcipuis *Allobrogum DUCIS* Proceribus impensè rogaretur, ut desineret illos latere, quorum non parata saltem in se studia, sed penitus accensa intelligeret. Sed *PRINCEPS* honoribus sibi cumulatissimè delatis, non quidem ambitiosè spreto, per Modestiam tamen parcius admissis, eō properabat, ubi se permistum lituis tubarum sonitum sciebat expectare. Hinc equis, & pernicibus vehiculis ad Belgas recurrebat, ubi tunc præcipuè fervebant belli studia. Erat tùm præfectus Exercitui *Athlonus*, *DUX* celeberrimus, qui, compositis in Hyberniâ rebus, Gallorum in Belgio ferociam, victoricibus Anglorum & Belgarum armis succinctus, frangere tentabat. Hujus itaqve in militarem

tarem adoptatus Disciplinam, munere Tribuni fun-
gebatur. Neque tamen, ut nonnulli solent, quos
Nativitatis splendor vilioribus negotiis videtur exe-
misse, nomen & honores sibi vindicabat, curis mi-
litaribus relictis aliis, quos gradu muneris habebat
proximos: verum adeo conspicuus in castris erat,
ut non Ducem ageret, sed militem. Et, quan-
quam communium molestiarum ipse Archistrategus
vacationem *PRINCIPI* ultro offerret: uti ta-
men hac immunitate recusabat: pulchrum ratus,
omnibus asperitatibus assvescere, & ita agere Tri-
bunum, ut, cum Ducis occupare partes, fortunam fa-
vente, contigisset, nullam assignaret stationem ali-
is, cujus non & ipse degustasset onera: nec ullum
militi telum distribueret, quod non ipse prius ma-
nu propria vibrasset. Ita dignitate Princeps, ex-
quarum cum humilioribus labore atque studio, com-
munis erat infimis. Hanc ergo vitam continentiam, la-
borum tolerantiam, solerti vigilantiam, & animi in-
trepidam alacritatem, non tantum *ATHLONII* be-
nevolentiam & laudem sibi penitus devinciebat:
verum etiam *WILHELMI REGIS* ita gratiam
inibat, ut ab illo aliam praefecturam ornaretur. Et
tunc quidem ipsum credo Martem summam percep-
turum fuisse voluptatem, si vidisset Principem,
aetate adhuc plane viridi, tantam armorum peritiam,
prudentiamque, quantum vix aetate maxime proventi
poterant, aciem instruere, & alta voce praemone-
re, quomodo cohortes ordines servare, mutare,
pugnam, obsistere & circumire, hostem invadere,
exonerare sclopetum, gladios versare, & inferre ictus,
vel illatos declinare, dato receptui signo, cedere,
nec tamen terga dare: mox, collectis viribus, certa-

D

men

men renovare, possent. Etenim hæc singula tam aptè & scienter peragebat, ut ad belli usum non formatus, verùm à naturâ factus deprehenderetur. Cùm ergò celeberrimo Anglorum *REGI* suam satis approbasset fidem & industriam, & tempus opportunum crederet instare, quò Cæsareanæ tandem aulae innotesceret: relictâ Belgicâ militiâ Viennam excurrebat. Ibi *D. LEOPOLDO* charus, augustissimo *JOSEPHO* gratus & acceptus, reliquorum aulae Procerum favorem meritus, ad Summi Vigiliarum in Militiâ imperiali Præfecti dignitatem capeffendam benignissimè invitabatur. Ibat itaque, mandato muneri satisfactorius, & cùm in Rhenanò tractu tunc ferveret expeditio, omnes Ducis strenui explebat numeros. Sed quia, brevi interjecto tempore, Turcarum furor conquiescens victricibus Imperatoris armis tandem succumbendum prævidebat, & ulterioris cladis avertendæ studio, Carolovicium de Pace consultare cœperat: non spernebat. Princeps à fortunâ datam rei tam eximix & arduæ cognitionem, sed ambabus ulnis avidè amplectebatur. Inter primos advolabat, & cum internunciò Turcarum, Maurò Cordatò, quem, ob sedulam in hac Pacificatione operam navatam, Principatum Daciæ in præmium laboris retulisse novimus, familiari habitò colloquio, pacis jam pridem desideratæ quasi primitias carpebat. Quia verò nequam eadem felicitate bella componuntur & incipiuntur, nec conditiones unò absolvuntur eorum conventu, quorum in negotiò tam arduo perficiendò vel arbitrium, vel ministerium occupatur: parum interesse Princeps verè Martius putabat, nùm coràm conditiones utrinque propositas inspiceret,

ceret, aut in castris, quibus reddi anhelabat, famam partim, partim nunciis acciperet. Ea enim restitutæ Pacis est conditio, ut non tam oculis, quam animo percepta voluptatem pariat; major est illius è longinquo nunciatae suavitas, & quisque tabulis, in quibus reconciliatae amicitiae perscribi solent argumenta, paulo curiosius perlectis, etiam non visa vel audita velut in conspectu posita miratur & exosculatur. Dum autem Oriens pacatus arma togæ rursus cedere coegerat: in Occidente etiam belligerantium languere primum animi, mox pari studio in Pacem, conspirare videbantur. Nimirum Galli, *Serenissimo ac Potentissimo SVECORUM* Rege Mediationis fidem atque operam pollicito, dissidiorum, quæ sibi cum Imperatore & Imperij Principibus, nec minus cum Hispanis, Anglis atque Belgis intercesserant, causas dirimere, & Pacem bello interceptam revocare meditati, variis verborum blandimentis atque simulationum artibus eò enitebantur, ut Ryswici formula transactionis, quam num Pacem an Inducias appellem nescio, excuderetur, & strepentibus adhuc utrinque armis silentium imponeretur. Hæc ratione restituta Gallis quies erat, quam familiari sibi consuetudine in ampliorem belli apparatus subdole converterent. Solent quippe Galli non aliis ex causis arma ponere, quam ut eò alacriores, promptiores, imò viribus instructiores ea repetant. Quod utinam expenderent, qui gentem in omnia fraudum genera exercitam vicinam pariter & hostem habent. Hoc enim facientibus Bellum pace videretur potius, quam Galli se superbâ voce non tam accepisse, quam dedisse gloriantur. Quia vero sive nimiam facilitate ductis, sive publicorum onerum

rum pertæsis quies anceps atqve dubia belli mole-
lestiis videtur præferenda: contigit ab omni ferè
temporum memoriâ, ut Pax cum Gallis stabilita
nova belli statim secuturi pactio exstiterit. *Quam-*
vis verò nova hæc militiæ vacatio permultis volu-
ptati esset: nostro tamen Principi invisa erat, &
tantum non penitus intolerabilis. Hinc, ut otium
reperitâ peregrinandi svavitate demulceret, salu-
tatô prius FRATRE Serenissimò, nec minus WIL-
HELMO Britannorum Rege denuò Londini salu-
tatô atq; in itineris consilium adhibitô, in Galliam
profectionem adornabat. Hic scilicet restabat ad-
huc peregrinationis Ulyssææ cumulus, ut urbes per-
lustraret, quarum mœnia lambentes Rhodanus,
Garumna, Ligeris & Seqvana superbis fluctibus in
mare se exonerant. Hic ergò tantâ comitate exce-
ptus, quantâ solent non augustâ saltem stirpe geni-
ti, sed etiam virtutum famâ celebres, tantâ item
auctus experienciâ, quantam itineris prudenter in-
stituti ratio commendat: circa finem exeuntis Se-
culi, plaudente & congratulante Fratris Serenissi-
mi familiâ, salvus & incolumis revertebatur, DEO-
que Duci ac Sospitatori devotissima solvebat gra-
tiarum monumenta. Erant eò tempore permulti,
qui monebant efficaciter, & precibus adjectis fla-
gitabant, ut desineret ulterioribus periculis mo-
lestiisque frangi & debilitari: verùm irritô succes-
su Principem magnanimum studebant expugnare.
Nam, non eò se consiliô vitâ divinitus donatum re-
gerebat, ut juventæ florem otio contereret, &
mollibus deliciis afflueret: sed ut eandem bono pu-
blico impenderet. Hinc, quoniam Septentrionem
nondum suis illustratum cursibus & rebus præclare
gestis

gestis noverat, sub *Potentissimò Svecorum REGE* etiam stipendia mereri cupiebat. Nam eò tractu temporis exarserat fatale bellum, cujus ut initium Saxoniæ pavori, progressus cladi variæ, sic exitus extremæ propemodum pernicipi fuit. Hinc, Divinò Numine velis aspiraturò, mare Balthicum trajicere parabat. Quò consiliò cum navem ascendisset, procedente aliquot dierum cursu, pontò atq; æthere juxta favente navigabat. Verum enim verò, Scenà derepente commutatâ, spissæ nubes cælo certatim intendi, fluctus intumescere, quicquid internitebat lucis extingvi, & ventorum horridò mugitu atrocissima tempestas denotari videbatur. Nec fallebat omen, siquidem navis, incertò motu fluctuans, omne nautarum eludebat ministerium, & naufragiò instante, quicquid in calamitate præsentissima servari posset, jacturâ redimere jubebat. Emergebant tamen inter has angustias non mediocriter solatium, cum nauclerus Holmientes scopulos spectari nunciaret, & felicem per eosdem transitum omninaretur. Sed hæc animis concepta Spes in ipsò quasi germine suffocabatur. Non enim cessabant ventorum impetuosè & adversò certamine præliantium subinde concitati flatus, sed increbescabant adeò, ut malus, qui sublimi vertice præ cæteris in altitudinem eximiam porrigebatur, unò ictu præceps rueret. Quid ergò animi fuisse creditis afflictis, *Auditores*, quorum adeò res erant inclinatæ, ut omni præsidio nudatam ratem, fluctibus jam ætherem ferire properantibus, jam in imos aqvarum vorices recedentibus permittere, & de salute desperare cogerentur? Pavebant, trepidabant, & in mediò undarum sinu circumspiciebant gurgitem, quò,

aiqio

E

ruptis

ruptis aſſerum compagibus, recepti ſorberentur. Princeps noſter, in calamitate præſentiſſimâ, religioſè flexis genibus demiffè procumbebat, & ſublatis in cælum manibus orabat, ut, ſi DEO viſum eſſet, vitæ retinacula tam violentâ tempeſtate ſolvere, beatam animæ in Paradyſum emigrationem aperiret. Imò, cùm nauclerus ſcopulos objectos præmonſtraret, quibus navem brevi intervallò temporis aliſam ruptum, & quos vexerat, ſubmerſum iri, denotaret: ſine metu & commotionis notâ regerebat: fiat voluntas Domini. Vix ita fatuſ erat, cùm navis dehifceret, & Principem effugium in lembò quærere juberet; qui tamen, undarum irruentium non capiens, periculum augebat potius, quàm leniebat. Verùm enim verò, nondum aderat fatalis hora: reſervandus erat pluribus ærumnis Princeps: hinc ex improviſò mortis evitandæ conſilium ſuccurrebat. Trabem navi ruptæ demptam nauæ applicabant ſcopulo, & funibus, quæcunqve poterant ſolertiâ, firmabant. Huic inſidentes, & ſolicitâ inflexione corporis, velut ſagitta arcu vibrata, metam adpetentes, tandem miſeri eluſtabantur. Sed calamitas calamitatem ſubitò excipiebat: colluctandum erat naufragis cum frigore, cum ſiti, cum inediâ: quandoquidem jactura navis nihil Principi exceptâ chlamyde, gladiò & librò, quò precationum formulæ continebantur, ſuperſeſſe voluerat. Fuiffet ergò etiam in hóc refugio miſelliſſi pereundum, niſi, DEO providente, accolarum, charitas in naufragorum liberationem prona, deſuppertiis ferendis, opportunè ſolicitata fuiffet. Horum itaq; ſedatâ tempeſtate ſcaphis evecti aliquo modo recreabantur: donec, divulgantè ſâma, Prin-
cipis

cipis afflicta fors Holmiæ nunciaretur, & eundem
navis splendide instructa caperet, ac portui, quem
anelabat, salvum sospitemque redderet. Hic au-
tem non tam aliquamdiu refotus, quàm devotâ gra-
tiarum actione DEO Servatori ac Sospitatori debi-
tâ defunctus, castra repetebat Regia. Et sic regressus
in Poloniam *REGI* Victori comes fuit indivulsus,
atq; ita in Exercitu versatus est, ut non tantum res
nulla major sine eò gereretur, verum etiam nullum
committeretur prælium, in quo non ipsius eluce-
ret Fortitudo & Prudentia. Ex quò fiebat, ut, si
qui fortè Saxonum virtutem insolenti fastu sperne-
re auderent, nostri Principis exemplò convicti fa-
terentur: clades militi Saxonico illatas non molli-
tici imperitiæque tribuendas esse, sed fortunæ mo-
bili, quæ, quos olim adjuvit & evexit, mox, eventu
variante, deserit & deprimit. Prævidebat autem
Princeps sagacissimus, fatalem belli rabiem nequa-
quam terminis Sarmatiæ conclusum, sed in ipsa
tandem viscera Saxonix effusum iri. Quare, vicem
Patriæ commiseratus, iniquissimum existimans,
natalis soli damna promoveri, cujus illustrandæ
gloriæ & commodo augendo se natum meminerat:
Svecorum castris, *REGÈ* annuente, & virtuti ma-
sculæ benignè applaudente, iterum relictis, milita-
rem operam Imperio Romano confirmare satagebat.
Erat quippe Principi ab eò tempore, quò lubricami-
tatem fuerat egressus, destinatum ac propositum,
militiæ laborem exteris probare saltem, sed *Impe-
rio* & Augustissimo *Imperatori* fide, quoad ipsa
vita fluxerit, intemeratè duraturâ, consecrare ac
obstringere. Hanc itaque ingenuam & verè di-
gnam Principe Imperii sententiam cum cognovif-
set

set *CÆSAR Augustissimus*, quo virtuti, ad excelsa
qvæq; connitenti novos adhiberet stimulos, *Serenissi-
mum Heroëm*, hactenus Summi Vigiliarum Præfecti
munere defunctum, tabulis signatis atq; publicè
transmisiss, *PROPRÆTOREM* solennissimè re-
nunciabat. Quem gradum militiæ ab eò scimus esse
proximum, penes quem summa totius inter Germa-
nos Imperii militaris est. Accedebant etiam *Magnæ
Britanniæ REGINÆ felicissimæ* in nostrum Princi-
pem ornandum studia. Cùm enim *FRATER* Se-
renissimus conscriptum suò jussu militem, ne domi
per otium marcesceret, adunatis Britannorum &
Belgarum copiis auxilio mittendum decrevisset. :
Princeps noster honorificè invitabatur, ut eidem
in Italiâ, sub ductu & auspiciò *Eugenii fortissimi*, &
variis triumphis inclyti *Principis Allobrogum* milita-
turo, cum imperiò præesse dignaretur. Et sic pro-
perabat Princeps alacer intrepidus, & publicæ sa-
luti potius, quàm gloriæ privatæ serviens, in Pede-
montium, ac aliquot diebus militi itineris mole-
stias utcunq; deterfuro datis, castra sociorum, socius
laboris & periculi futurus, felicissimè intrabat. :
Galli tunc *Augustæ Taurinorum* capiti totius Regio-
nis, atq; domicilio Imperii, exercitum non ma-
gis copiarum numerò amplissimum, quàm armis
infestissimum admoverant. Vibrabat *Fevilladius*
ignitos ponderis immensi globos, ut vel tectorum
culmina dejiceret, &, perruptis fornicibus, compa-
ges parietum quassaret, vel, Vulcanò flammam
latius spargente, urbem incendiò absumeret; exo-
nerabat etiam tormenta tantâ vi savitiâq;ve, ut
cohortibus ac turmis, constitutis vineis accessibusq;
urbem expugnare laborantibus, dejectis propugna-
culis

culis & aggere solutō, aut deditōnis, aut optatā occupationis spem haut dubiam promitteret. Sed ex improvīsō superveniebant obsessōribus *Duces Allobrogum*, ac frustā prohibentibus infesta signa inferebant. Nostro Principi in dextrō cornu, cujus aciem *Philippus Darmstadinus* strenuē curabat, statio obtigerat. Hunc igitur Antesignanum fortiter secutus, confertissima Gallorum roborā, eō locō, quō constiterant, occubitura, citius, quā retro cedere volentia, repetitō aliquoties certamine adortus, tandem victor dissipavit & repressit. Quæ virtutis fideique documenta cum solutæ postmodum obsidionis & extortæ Gallis, paulō antē triumphantibus, victoriæ non leve fuisse prehenderentur adjumentum: dignus videbatur. Princeps, cujus fidei *CÆSAR* præsidium & gubernationem *Alexandriæ Statelliorum*, Urbis olim *Barbarossæ Cæsaris* ludibrio extructæ, tunc autem recens devictæ traderet. Cedebant autem, brevi interjectā mensium intercapedine, Galli Italiā, & totam Insubriam, fortunā cursui armorum in iisdem oris adversante, Cæsaris legibus arbitrioque permittebant. Hinc cum in hybernis agerent Cæsareanæ Sociæque copiæ, Princeps, Legatis curam militis & muneris concrediti demandans, *FRATREM* iteratā (atq; utinam non ultimā!) vice salutaturus recurrebat in Saxoniam. Magnus ex omnibus Europæ Regnis ad *SVECORUM REGEM*, annō integrō in vicō Lipsiensis agri commorantem, illustrissimorum hominum concursus, erat. Quare noster quoque Princeps, veteris hospitii renovaturus gratiam, eodem contendebat. Quantō iraque Regis affectu, quantā amicorum & commilitonum veterum benevolentia exceptus, quā benignē liberaliterq; habitus fuerit: exponere jam super-

F

sedeo.

fedeo. Pendebant omnes ab ejusdem ore, quoties res in Italiâ peractas recensebat: mirabantur, cum in ætate tantis rebus vix satis maturâ, tot molestiis laboribusque devorandis suffecisse: vitam deniq; Heroi quàm longissimam, imò ulteriores prosperos successus, precabantur. Interim appropinquabar tempus novam expeditionem urgens: adeoque properè regrediendum erat in Italiam, ut copias, in Galliâ fortunæ aleam tentare jussas, cum imperiò regeret, tum etiam suomet confirmaret & incenderet exemplò. Constitutum erat Ducibus Allobrogum *Toullonam*, olim *Taurentium*, propugnaculum maritimum, situ atque opere præ cæteris munitum, obsidere. Sive enim spes erat non prorsus dubia, fore, ut castella terrâ marique quasata ad deditionem fortiter compellerentur: sive hóc consiliò divelli atq; dirimi debent copias, quas hostis in Germaniæ Hispaniæq; perniciem armaverat. Et híc quidem Princeps fauces alpium sine militis jacturâ superabat. *Varum* etiam, objectum itineri fluvium, inter primos felicissimè trajiciebat: &, cum expugnationi destinata urbs coronâ cingeretur, eas sibi deposcebat stationes atq; partes, quibus plurimum inerat periculi. Ex quò fiebat, ut ardorem Duces laudibus extollerent, præfecti legionum mirarentur, milites gregarij in imitationis exemplum atq; argumentum traherent. Diem mihi citius, quàm copiam de Gloriosâ vitâ Principis dicendi defuturam, Auditores, intelligitis; & profectò, res ab eò gestæ non orationis ambitu exponi, sed in pluravolumina diffundi meruissent, nisi mors præpropera eundem telam, quam pertexere susceperat, abrumperet jussisset. Quare, qui húc usq; lætus & exultans ea persecutus sum, quæ Princeps pari consiliò ac fortitudi-

itudine perfecit: nunc, ad ea digredi coactus, quæ
supremis adpropinquanti acciderunt, linguam ve-
lut vinculis ligari sentio. Rumpendum tamen est
loquela retinaculum, refrenandus est doloris im-
petus, nec prius contrahenda vela, quam in por-
tum dissertatiunculam perduxero. Quare, cum ut
meum obtegam dolorem, tum ut vestrâ audiendi
patientiam minus abutar, ad fatalem horam prope-
ro, quæ Principem funestâ quidem, sed beatâ mor-
te sustulit. Jam accessus, quibus ad *Toullonæ* fossam
aggeresque penetrandum erat, adunatæ Sociorum
copiæ tantum non omnes occupaverant. Et, ut
tantò efficacius obsessi quaterentur, nostro Principi
Castellum, cui *Divæ Catharinæ* nomen conditores
indiderunt, præsidio impositio contra hostium im-
pressionem fortiter tueri demandatum erat. Fa-
ciebat ergò Princeps, quod Præfecti fortalitorum
solent, quibus conscientia famaque ipsâ vitâ po-
tiores sunt. Obibat stationes singulorum, quos in
excubiis locaverat: speculabatur hostium consilia:
& omni laborabat studio, ut prævisa eorum tela
aut enervarentur penitus, aut, in paratos excussa,
minus nocerent. Eâ autem, quæ *octavum atque de-
cimum Calendarum Septembris* diem præcedebat, nocte,
Guebriani, Dux Gallorum, sex mille milicibus suc-
cinctus, nostris antè irruerat, quàm, discussis tene-
bris, liquidior lux appareret, atque resistendi copi-
am concederet. Quamvis itaque aliquamdiu æquò
Marte pugnaretur, atque nostri hostibus victoriam
non nisi magnâ strage venalem ostenderent: Gallo-
rum tamen furor trucidabat alios, alios fugâ elabi
subigebat, & hâc ratione ita ordines turbabat, ut
de restaurandâ acie sollicitus Princeps, cohortes æquò
circum-

circumvectus, voce, nutu, gestu pavidos firmare, dilapsos colligere, & hosti, victis jamjam insultanti, denuò immittere contenderet. Sed, dum reparare nititur jacturam, quam ancipiti fortunâ belli circumventus, se fecisse sentiebat: vitæ (proh dolor!) eum opprimebat eò luctuosior jactura, quo irreparabilior. Nam, infaustò geminò sclopeti jactu, glande duplici trajectus, occumbebat: altera nimirum perforatò larere ad ilia descenderat, altera sub oculò sinistrò, per nervorum obvios occursum, ad interiora cerebri adacta, sensum omnem interceperat, extinxeratque.

Et sic vita deferebat Principem, vitâ vel longissimâ dignissimum: sic peribat, per quem periisse hostes singuli mallemus: sic dolore obruebat omnes, quos huc usque gaudiis abundè cumulaverat. Nemo enim est ex iis singulis, quibus aut sanguinis propinquitate junctus, aut virtutum documentis apprimè probatus erat, qui non ejus mortem peracerbam fleat atque doleat. Dolet *CÆSAR Augustissimus*, ereptum Principem, Imperio fidelem, atque, si vivacior fuisset, magno usui ac gloriæ futurum: Dolet *Magna Magnæ Britannie REGINA*, cum *Svecorum REGE Gloriosissimo*, amicum raptum, imò etiam familiarem: Dolet Victor, *VICTOR AMADEUS*, cum *EUGENIO*, ademptum sibi strenuum Commilitonem: Dolet universa *SAXONUM* prosapia, Heroëm suò stemmate dignissimum occubuisse: Dolent subditi erutum quasi alterum ocellum: Dolet ante omnes *FRATER*, Fratrem tam cruentâ cæde raptum & prostratum. Verùm temperandus dolor est, quem *DEUS* ipse cœlesti solatiò permulcet atque temperat. Non enim desit,

defuit, sed cœpit vivere, cujus animâ, CHRISTO
 Victore Duce, mortem ipsam vicit, & ab hâc mi-
 litiâ terrestri ad honores triumphales capeffendos
 sursum evolavit. Quare, quod *Herois Belgæ* supre-
 mis honoribus dicatum legimus, in nostri quoque
 Principis ponamus monumento: *Mars Mortem,*
Mors æternam Vitam peperit. Vivit ejus anima in
 cœlô, Salvatori, quem infixum pectori gestabat,
 & supremâ voce provocabat, indivulsô vinculo
 conjuncta. Et, tamen si corpus, communem mor-
 talitatis legem expleturum, ab oculis recesserit:
 Princeps tamen ipse vivet, atque seculorum omni-
 um memoriâ florebit. Adequè, quod *Gallorum* olim
 celeberrimum *Heroem*, in obsidione simili consum-
 ptum, proclamâsse, facti memorant, nonnihil com-
 mutatis verbis nostro tribuamus Principi: *Vivere*
diutius inter mortales potuisset, sed non mori cum beatius,
tum gloriosus. Quare in tuô, Supreme DEUS, be-
 nignissimô Decretô acquiescimus: non invidemus
 Principi defuncto gaudia, quibus in sinu tuô frui-
 tur; hoc tamen unum à Te seriô precamur: fac, pro
 ineffabili paternâ tuâ gratiâ, ut *FRATREM* ha-
 ctenus superstitem maligna fata nobis non invide-
 ant. Hunc præsta sospitem, valentem & vivacem:
 Hunc non interesse saltem nobis, verum etiam
 diu præesse patere: Hunc gratiâ & benedictione
 cœlitus corona! Sic jacturam, quam JOHANNIS
 WILHELMI nobis obitus objecit, reparabit at-
 que compensabit SERENISSIMI FRI-
 DRICI Vita, Salus &
 Autoritas,

G

Medita-

Meditationem de his verbis
SOL CLYPEUSQVE DEUS Pſal. LXXXIV. v. 12.

in memoriam Serenissimi PRINCIPIS

ſubmiſſâ mente recitabat

Samuel Friedrich Groſſer / Altenburgerſis,



*M*isnia lugubres meritò diffundere planctus
Pergit: & attonitos tota crepare ſonos.

Nam Princeps cecidit, nulli Pietate ſecundus,

Quos Erneſtiadæ ceſſa propago tulit.

Qui teneris cunctas annis luſtraverat artes,

E quibus accedit gloria Principibus.

Qui varios hominum mores, terrasqve remotas

Omnibus intentò viderat ingenio:

Qui Martem intrepidâ prudenter mente ſecutus,

Victrici tulerat præmia multa manu.

Hunc igitur meritò ſibi Miſnia luget ademptum,

Facturamqve Ejus queritur eſſe gravem.

Nec ſatis eſſe putat ſolam ſe damna dolere,

Quæ ſibi funeſta lex dedit atra necis;

Vicinas etiam placidè jam provocat oras,

Et rogat, ut viſum ſtebile ſonus eant.

Nos, qui SAXONIÆ pars non poſtrema vocamur,

Ad tantum faciles pergimus officium.

Tangit enim cunctos dolor, à quò frangitur alter,

Communi patriæ junctus amore, locus.

Hinc, mihi ſi liceat, tam trifti munere fungi:

Principis occaſum voce tremente loquar.

Gallia CÆSAREIS tenuis hæc illuſerat armis,

Plurima LILIGERI Regna NEPOTIS erant.

Hæc igitur repetens Cæſar, juſtiſſimus Heres,

Ut Fratri ereptum redderet uſqve decus,

Militæ ſuccinctum numeroſò inſtruxerat agmen,

Et claros cautâ, legerat arte Duces.

Hos inter PRINCEPS, ceu ſtellas, Luna, minores,

Spargebat rutilas luce nitente comas,

Qualiter in cælo Solem, Cyllenius ignis,

Pergentem ſociò lumine ſubſequitur:

Talis & Eugenio, quem ſera Agamemnonis inſtar

Secula laudabunt, junctus ubiq; fuit.

Vidit

Vidit eum Eridanus dextrâ committere pugnas,
Inter & hostiles spargere tela Duces.
Vidit ei multos hostes submittere colla
Italus, & victis dicere jura viris.
Vidit eum aëros transcendere Gallia montes:
Faucibus oclusas vidit adire vias.
Vidit & objectum flumen superare secundo
Ventorum flatu, quod remoratur iter.
Vidit eum primos inter Toullona tonantes,
Qui premonstrabant ignea tela Fovis.
Sed, quoniam ambigua fortuna volubilis errat
Passibus, & nulli parcere bella solent;
Occidit, hostili tandem quoque glande peremptus,
PRINCEPS, qui toties vincere suetus erat.
Nox erat, & placidam membris suadere quietem
Cæperat: at facili nox erat insidiis.
Hinc Galli, educto venientes agmine, cædem
Tentabant, qualem nox mæstivada docet.
Et sic conglomerat PRINCEPS, quod rexerat, agmen,
Inque truces Gallos jam ruit ense sub:
Jam trepidos firmat, jam sparsos colligit, atque
Officii memores ferre pericla jubet.
Sed, dum solliciti Ducis instat munere fungi,
Et pergit liquidâ luce carere Polus:
Exonerat creperò miles sclopeta nitratò
Pulvere, nec cernit, quò sua tela volent:
Obversò PRINCEPS vultu violabilis hosti,
Instructum vulnus pectore & ore trahit.
Heu! quàm seva manus fuit hæc, quæ PRINCIPIS artus
Perforat, & geminâ rumpere glande parat!
Non tam seva tygris solet esse, nec horrida abyssus
Quâ versant rapidas Scylla Charybdis aquas.
Atra dies atrò fuerit signanda colore,
Quâ casus Princeps occidit ante diem.
Nulla seges nascatur humo, quæ sanguinis hausti
Munere, subjectos tunc tepefecit agros.
Æternùm maneat sterili squalore notata,
Et nostri æternùm signa doloris alat.
Sed, quò me gemitus ducunt? non occidit HEROS
Noster, at æthereâ vivit in arce DEI.

Frustrâ

Frustrà illum hostili jactu lugemus ademptum:

Quà periit PRINCEPS, Mors, nova vita fuit.

Nocte licet corpus densis concesserit umbris:

Menti certus erat SOL CLYPEUSQUE DEUS.

Hòc monstrante viam superas pervenit ad ades:

Hòc munita, necem vicit, & antra Stygis.

Hinc regnet, cælo junctus, victorque triumphet,

Ultima, cui sursum tendere, meta fuit.

Sed FRATRI, lachrymis & planctu semisepulto

Sit CLYPEI & SOLIS SUMMUS FOVA vice.

Dissepit objectam fronti, solamine, nubem:

Arceat & reprimat spicula tremenda necis!

Sic, quæ nunc crebris resonat singultibus, Aula,

Post planctum plausus, lætaque vota dabit.

Die von dem Hochseeligsten HERZOG
oft gebrauchten Worte Pf. LX. v. 14.

Mit **GOTT** wollen wir **Thaten** thun/
wurden zu Dessen unterthänigstem Andencken kühnlich erwogen
von

Johann Gottlob Grossen / Altenburg, Misnicò

Graut ihr Eedern/ heult ihr Tannen/die ihr im Gebürge steht/
Weil den **Sachsen** unermüthet ein berühmter **Held**
Den ein doppelt scharffer Schuß eher in den Sarg geleget/ (entgehet/
Als er seinen Zweck erlangt/ den Er sich in Herz gepræget.

Aber/ weil sein Sprüchwort lautet: **Mit GOTT** wolln wir
Thaten thun:

So mag der entfesselte Körper in der Grufft versencket ruhn.
Seine Seele triumphirt/ und verlacht das Welt-Gerümmel/
Denn sie hålt/ bey solchem Fall/ ihre Sieges-Pracht im Himmel.
Niemand thut ja gedöhrte Thaten / als der / welcher sieghaft stirbt/
Und/ durch seinen starcken Glauben/ einen Fürsten-Hut erwirbt/
Den Jhn nicht des **Kaisers** Hand/ sondern **GOTT** aufs Haupt geleset/
Und Jhn dergestalt des Chors seiner Frommen würdig schæzet.
Tapftrer Muth/ und kühne Thaten machen keinen rechten Held;
Aber der verdient den Titel / der sich an die Spitze stellt/
Wo der Satan und die Welt denen gänglich unterliegen/
Die den ausgezognen Feind/ durch des Glaubens-Krafft/ besiegen.

Dieses that der tapf're **Herzog** / den sein ganzes Land beweint/
Weil ers mit dem Vaterlande redlich und getreu gemeint:
Darum ist sein Helden-Ruhm nicht nur auf der Welt bescrieben/
Sondern bleibet ebenfalls in dem Himmel angeschrieben.

Nun/so ruhe/ theurer **Herzog**/ in der angewiesnen Grufft/
Bij des liebsten Heylands-Stimme deinen Körper wiederkrufft.
Unter dessen lasse **GOTT** deines **Bruders** Thun gerathen:

So thut Er/ wie ehmahls Du/ mit **GOTT** rechte **Fürsten-Thaten**.

V D
18

ULB Halle 3
007 676 347





VICTRICES LAURI
VITÆ POST FUNERA TESTES
SERENISSIMI PRINCIPIS
ac DOMINI,

DN. JOHANNIS
WILHELMI,

DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ
ac MONTIUM, ANGRIÆ atqve WEST-

NDGRAVII THURINGIÆ
ONIS MISNIÆ, &c. &c.
REÆ MAJESTATIS

IMPERIALI SOGIAQVE
CAMPI-MARESCHALLI
M-TENENTIS,

CÆSAREM IMPERIUMQVE
NSTANTISSIMA
NITUDINE INTREPIDA
ULTIS PRÆLIIS PROBATA
ALEM GLORIAM ADEPTI,

S. TAURENTII ANTEMURALIA
NUE PUGNANTIS
AUG. A. MDCCVII.

ETORUM JACTU PEREMPTI:
PRINCIPI PIETATEM TESTATURUS,
NORES EXEQVIALES

TRIA PERACTOS,
RATIONIS APPARATU
ITEM VENERATIONIS CULTU

ASIO GORLICENSI
DUMBRATÆ

A
STOPHORO BIERLINGIO,
URGенси MISNICO.

PIIS MICHAELIS ET JACOBI ZIPPERI.

46.

